

1380 constituta erant, quando res ad parvam Clodiam bene gestita omnem gerendæ rei rationem prævertit. Ne quid enim a tergo relictus hostis obesse posset, statuit Venetus præsidium, quod eo loco Ligur habebat, priusquam Brundulum iretur, oppugnare. Eo adductæ copiæ vix bene turrim circumsteterant, quum Genuenses tanquam ad certum signum excitî, omnes qui ad Brundulum erant, præter paucos ad custodiam loci relictos, Clodiam revocant, jubentque eos instructo agmine venire, ac Venetum pugnae intentum a tergo invadere: se interim ex altera parte, facta ex urbe eruptione, hostem ferociter invasuros: vulgo credere, satius fore cum hoste acie dimicare, quam in ultimum discrimen longa obsidione adduci. Ad mille & quingentos ex Brundulo venisse dicuntur: qui ex urbe eruperant, circiter octo millia fuisse. Brundulana acies cum clamore quasi ex insidiis coorta, in Venetos invecata est. Excepit eam magno animo Zenus, pugnaque oritur atrocissima. Tanta telorum vis ex utraque parte primo concursu coniecta dicitur, ut aer nimia densitate quasi nube quadam obtegeretur. Clamor circa littora ipsasque parvæ Clodiæ ruinas, ingens quoque armorum fragor, omnia terrore compleverat. Cadunt multi, plures vulnerantur. Erumpit interim ex urbe major illa phalanx, ac denso agmine quasi torrens cum impetu in Venetum præsentî pugna occupatum effertur. In hos quoque ille conversus, fortî animo violentam impressionem sustinet; cogeatur jam duobus lateribus pugnare: sed dum altero prælio studet defungi, majore vi nixus Brundulanum militem loco summovet: in quem gradum referentem ac jam pene pulsum eques immittitur: is hostem pedestri prælio turbatum, fundit fugatque, ac fœdissima cæde insequitur: multi ad Catharinæ fanum in aquas præcipitati, aut nandi imperitia, aut armorum pondere perierunt. Victor hac parte Venetus, omnem impetum in urbanam aciem vertit, quæ suorum casu territa jam pedem sensim referre cœperat: in eos sua sponte turbatos ferociter invehitur. Tum vero majorem in modum perculsus hostis, minus ac minus ordines affer-